Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31638
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

autem pedem tuum abstinueris eorum. Pedes enim eorum in malum currunt, et veloces sunt ad effundendum sanguinem. Audierat etiam: Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Et alibi: Qui diligitis dominum odite malum; et cetera que in hunc modum lectione divina prolata sunt. Talia quippe dum audisset in mandatis domini, viam iniquitatis intellexit omnimodis execrandam, que iusto domino placere non poterat. Odio enim debent esse que secuti sunt, ut rebus celestibus totus impendatur affectus. Decet enim nos execrari que mala sunt, quia interdum apud necessitatem prohibemur, quando conscius eorum videtur animus, quia aliqua illis delectatione consenserit. Sequestratur autem ab illis rebus voluntas fidelium, que odio intercidente damnaverit, ut nec voto nec operatione se polluat, qui mentem suam tali execratione purificat.

N. iiii.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, domine, et lumen semitis meis. Per xiiii^am litteram ad xiiii cohors beata pervenit, in qua pedibus suis dominici verbi lumen radiare congaudet, animam suam humillima satisfactione commendans, expetens retributiones domini priorum desiderio, non terrore vindicte. Sciens enim huius seculi noctem diversis offensionibus irretitam, ut alibi laqueos, alibi scopulos, alibi contineat profundissimas vastitates, pedibus suis verbum domini lucere testatur, ne absentia veri luminis incidat in ruinam, quam per suam prudentiam vitare non poterat. Sed hoc verbum illud debet intelligi, quod per scripturas sanctas ore prophetarum seminatum est. Quod bene appellavit lucernam que humanis usibus data est ad pellendam noctis profundissimam cecitatem. Sicut Petrus apostolus dicit: Habemus certiorem propheticum sermonem, cui benefacitis intendentes velut lucerne lucenti in obscuro loco. Sic et ipse dominus apostolis dicit: Sint lumbi vestri precincti, et lucerne ardentes. Bene autem addidit ardentes, propter virgines fatuas, quibus cum oleum defecit, adventum sponsi non potuerunt prestolari. Verbum autem illud consubstantiale patri a natura deitatis sue lucerna dici non potest, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sicut et ipse de se dicit: Ego sum lumen mundi. Nam ista discretio et in evangelio facta est, ubi de Iohanne dictum est: Ille erat lucerna ardens et lucens. Et iterum: Non enim erat ille lumen, sed utique missus est ut testimonium perhiberet de lumine. Sequitur: Et lumen semitis meis. In eadem translatione permansit, ut verbum domini, id est dicta prophetarum, lumen dicat suis semitis prestitisse. Per ipsas siquidem dum ad vite bone cursum instruimur, clarificati corde rectis gressibus ambulamus.

Iuravi et statui custodire iudicia iustitie tue. Post illam illuminationem verbi quam suis pedibus lucere professus est, videamus si propheta beatus contra preceptum potuerit iurare, cum scriptum est in evangelio: Non iurabis, neque per celum, neque per terram, neque per Hierosolimam, neque per caput tuum, et cetera. Sed iurare non semper significat sacramenta prestare, in quibus invocando divinitatem pollicemur ne promissiones nostras mutabiliter excedamus. Sic et sancta devotio decreverat sibi atque constituerat, ut quelibet pericula domini custodire iudicia. Nam et ipsum nomen indicat causam. Iurare enim est iure orare, id est equitatem dicere, ne velit quispiam quod promisit in parte alteram seductus avertere. Sic enim iurant, id est firme constituunt sancti, qui iam sunt dono domini roborati. In evangelio vero prohibet dominus infirmos qui venerant ad parvulos sauciosque salvandos, ne velint temere promittere quod nequaquam poterant suis viribus adimplere. Iudicia vero iustitie sunt, cum exaltat humiles, deicit superbos, et misericordie sue dono relevat humili satisfactione prostratos. Quod sequens versus ostendit.

Humiliatus sum usquequaque, domine, vivifica me secundum verbum tuum. Cum se dicant Christi